2. Ich ſtelle auch einem iedweden frey / die Diametros der gröſſeren Medaillen mit dem Herrn Heræo nach Zollen außzumeſſen / oder mit D. Maiorn zum Kiel / und mit dem Herrn Oleario zu Arnſtadt / derſelben Gröſſe nach Zirckeln zurrechnen. Denn wer die Medaillen ſelbſt / wie

tationis huius finem, num. Cl. quam in Gloſſario, oſtendente, omnes eiusmodi denominationes a Latino vocabulo, *Metallum*, originem ducere, ac de monetis vulgaribus, aureis, argenteis, æreis, vſurpari: certe nemo non videt, ambiguitatem illis minime tolli, ſed cum ex communi prouerbio, *verba valent, ſicut nummi;* tum optimum forte fuerit, cum Bizoto Abbate, (quem Heræus noſter inprimis refutandum ſibi ſumſit,) duplices tantum claſſes conſtituere, quarum prior omnes comprehendat nummos, qui in Hiſtoria vſum præſtant, poſterior meras monetas vſuales.

2. Præterea liberum cuilibet relinquo, ſiue maiorum Numiſmatum diametros pollicibus metiri, ſiue cum D. Maiore Kilonienſi, & Cl. Oleario Arnſtadienſi, magnitudinem illorum circulis numerare. Qui enim ipſa Numiſmata

wie ich die Sächſiſchen / in Kupffer ſtechen läſſet / ſtellet zugleich ihre Gröſſe allen vor Augen / und braucht keiner Außmeſſung / welche denen nöthig iſt / ſo an der bloſſen Beſchreibung ſich genügen laſſen. Was aber die vom Herrn Heræo mit rarem Fleiß und erudition abgehandelte Haupt-Frage betrifft; welche unter denen Modernen die erſten Medaillen ſeyn? ſo habe dieſelbe ſchon im Eingange des andern Albertiniſchen Theils p. 217. bey ſeite geſetzet / alß zu dieſem Wercke nicht gehörend: werde aber mit ehiſten in meiner curieuſen Bibliothec, ſo Monatlich zu Leipzig in Teutſcher Sprache außgehet / Gelegenheit nehmen / was der Herr Heræus allhier zuſammen getragen / zuunterſuchen. Inzwiſchen / weil er *Num.* 2. meine erſte Medaille der Erneſtiniſchen Linie / mit der erſten der andern Tabelle / einerley Bruſt-Bilder zuhaben meynet / ſo kan ich nicht anders / alß ihn bitten / wenn er einmahl wieder nach Gotha kömmet / ſich in der Fürſtlichen Bibliothec den groſſen Foli-

ſmata, vt nos Saxonica, æri curat incidi, magnitudinem ſimul eorum oculis omnium exponit, nec dimenſione opus habet, qua indigent, qui mera deſcriptione contenti ſunt. Quod vero Quæſtionem primariam, a Cl. Heræo raro diligentia eruditioneque ventilatam attinet; Quæ prima ſint inter recentiora Numiſmata? eam quidem Partis ſecundæ Albertinæ Introitu pag. 217. ſepoſui, tanquam ab Opere hoc noſtro alienam: proxime tamen in Bibliotheca mea Curioſa, quæ Lipſiæ ſingulis menſibus Germanice prodit, occaſionem captabo, inquirendi in ea, quæ Cl. Heræus hic congeſſit. Interea cum is *Num.* 2. arbitratur, primum noſtrum lineæ Erneſtinæ Numiſma, easdem habere icones, quæ primum Tabulæ II. non poſſum non ipſum rogare, vt ſiquando Gotham redierit, maximum in Bibliotheca Ducali Volumen ſibi

anten weisen zulassen / darinnen unter andern Chur-Fürst Ernstens und Hertzog Albrechts Bildnisse in Kupffer gestochen zusehen / welche mich und andere bewogen / obgedachte erste Medaille ihnen zuzuschreiben Und hat man sich daran nicht zustossen / daß auch Churfürst Friedrich und Hertzog Johannes fast einerley Tracht und Gestalt mit jenen haben; indem selbiger Zeit weder so grosse Veränderung der Kleider gewesen / wie ietziger Zeit / noch etwas neues ist / daß Väter / Brüder und Söhne / einander ähnlich sehen.

3. Ich überlasse auch andern zubeurtheilen / was der Herr Heræus *Num. XIII.* & seqq. von den leeren Wapen-Schildlein und derselben unterschiedlichen Dispositionen; ingleichen zu fernerer Entschuldigung des Luckii u. s. f. beybringet; und erinnere nur / daß er so wohl hier / alß anderer Orten / *marculos* nennet / was wir im Teutschen Stempel oder Eisen heissen. Denn durch jenes werden vielmehr die Schlegel und Hämmer bedeutet / wie Martialis klaget / daß

monstrari curet, quo inter alias Ernesti Electoris Ducisque Alberti imagines continentur, quæ me aliosque permouerunt, vt Numisma hoc primum ipsis adscriberemus. Nec offendere quenquam debet, quod Fridericus Elector & Dux Ioannes eundem fere habitum formamque præferunt, quando nec tanta tunc fuit vestium, quæ nunc, mutatio, nec nouum est, patres, fratres, filios, sibi simillimos esse.

III. Aliis etiam diiudicanda relinquens, quæ Cl. Heræus *Num. XIII. & seqq.* de vacuis insignium parmulis, variaque illorum dispositione; nec non ad Luckium porro excusandum &c. in medium profert; tantum obseruo, ipsum & hic & alibi, *marculos* vocare, qui nobis *typi* sunt & *matrices*. Mallei enim sunt potius marculi, querente Martiali, *ærariorum marculos toto die pauperi quiescendi locum* negare. Et Carolus du Fresne in allegata Dissertatione num. Cl. *monetarios typos seu cuneos* sollicite a *marculis* distinguit. Sed cumprimis notari meretur elogium, quo ad colligenda recentiora Numismata nos excitat Heræus, *propter Symbolorum sublimitatem, scientiarum omnium, & actionum, quas vita ciuilis fert, maiorem, quam in antiquis, varietatem; præsertim personarum, quorum beneficiis adhuc frui datur, merita, Principumque & familiarum a Maiorum Imaginibus gloriam.*

daß einem Armen die Müntz-Schlegel den gantzen Tag beschwerlich wären. Und Carolus du Fresne in angezogener Dissertation num. Cl. nennet die Stempel *monetarios typos seu cuneos*, und die Schlegel *marculos*. Aber insonderheit ist der Lob-Spruch / dadurch der Herr Heræus zu colligirung der modernen Medaillen uns auffmuntert / wohl zumercken / wegen der Wahl Sprüche Vortrefflichkeit / wegen mehrer Veränderung / alß auff den alten / aller Wissenschafften / und im gemeinen Wesen vorfallender Handlungen; insonderheit wegen meriten der Personen / deren Gutthaten wir noch geniessen / der Fürsten und Herren von ihren Vorfahren herrührenden Ruhms &c.

4. Endlich sind wir dem Herrn Heræo höchlich verbunden vor die communicirten Ernestinischen Abdrücke / sonderlich von Chur-Fürst Johann Friedrichs Medaillen, und wollen dieselben in unser Supplementum zusetzen / und ferner davon zuraisonniren unvergessen

IV. Denique Cl. Heræo plurimum debemus ob ectypa Ernestina nobiscum communicata, Numismatum præsertim Ioannis Friderici Electoris, neque illis in Supplemento nostro locum amplioremque illustrationem denegabimus.

sen seyn. Inzwischen wird der Herr Heræus hierdurch gebeten/ die Abdrücke von denen so wohl in dieser/ alß in der vorigen Epistel angeführten Medaillen der Adelichen Familien/ und anderer berühmten Leute/ mir zuübersenden. Auch werden die hohen Chur- und Fürstlichen Ministri nochmahls/ wie in der Vorrede des ersten Ernestinischen Theils/ um geneigte communication der Medaillen ihrer Vorfahren ersucht. Weil bereits an Erklärung derselben gearbeitet wird von dem Königl. Pohlnischen und Chur-Fürstl. Sächs. Historico, Hrn. Johañ Conrad Knauthen/ welcher schon lange auff eine Chronic des Adels dieser Lande bedacht gewesen ist.

Interim preces nostras ad Cl. Heræum deferimus, vt ectypa Numismata, tam Nobilium, quam aliorum clarorum virorum, hoc & præcedenti epistola citata, transmittat. Summi quoque aulæ Electoralis Ducaliumque Ministri denuo, vt in primæ partis Ernestinæ præfatione, rogantur, ne Maiorum suorum Numismata beneuole nobiscum communicare dedignentur. Nam in illorum explicatione occupatus est Regius Polonicus, Saxonicusque Electoralis Historicus, Ioan. Conradus Knauthius, Chronicon Nobilium huius terræ iampridem meditatus.

Celeberrimo Domino

WILH. ERN. TENTZELIO,

Consiliario & Historiographo S. R. M. Polon.

S. P. D.

C. G. HERÆUS.

ETsi statueram, nihil ulterius præfari suppeditando ex promissi fide qualicunq; spicilegio, quod reliquum fecerit ditissima Tua, ex patriis omnibus Nummophylaciis

ciis congesta messis, quantam de alia Electorali familia minor numismatum apparatus vetat sperare. Tamen, quia video, ita perhumaniter a Te exceptam esse priuatam meam, familiaremque epistolam, vt supra meritum dignam habueris, quæ publica in luce versaretur; Vt morem Tibi gererem, & quædam in priori Epistola perfunctorie leuiterque attacta, paullo apertius explanarem, facile amica Tua compellatione inductus sum.

II. Atque vt Tui introitus, Part. II. Lin. Alb. filum sequar, miror sane, Te *nummi* vocabulo ita offensum esse, vt p. 216. monendum putaueris, id de moneta (quæ tamen huius fori non est) haud esse accipiendum. Cum Te neutiquam fugiat, significationem *nummi*, pro eo, qui extra moneta vsum, memoriæ, donariisque dicatus, Suetonio (in Aug. 75.) aliisque æque Romanam esse, vt Horatio (Epist. l. 2. 1. v. 234.) *numismatis* pro moneta Philippica. Quod discrimen, quia vel a nostræ ætatis autoribus tam parum obseruatur, vt antiquariorum principes, maximi Moduli non minus frequenter Nummos, quam Numismata in ore habeant: Fateor, ad vitandam æquivocationem, non repugnante ipso Eloquentiæ Romanæ Ore, vix esse, quod prohibeat, *singularibus rebus* quas rei numariæ recentioris vbertas produxit, Heraldicæ exemplo, *noua & singularia nomina imponere;* Easue appellatione, vt propria sit, aliena notiori, atque ita *Nummos* per excellentiam dictos *Metalliorum* termino, ab Italorum *Medaglia*, notare. Vt illo præponantur Numismatibus cælaturæ minus extantis. Deficiente in *Modernis* Characteristica illa nota, quæ ex Moduli magnitudine in antiquis petitur. Vbi recentior moneta, vt vncialium &c. mole non raro Metallia superat; licet anaglyptica cælatura, quam Romana, longe sit inferior. Metallia, quoniam perfectionis gradu

gradu inter se differunt, in *Primi* Ordinis, vt percussorum, integrorum &c. & *Secundi*, vt fusorum, vnilateralium &c. (qualia in re numaria antiqua non occurrunt) subdiuidi possunt. Minori licentia opus est in denotando secundo diuersoque genere, quod Metalliis & monetæ intercedit; atque Doctorum sermone ob cælaturæ similitudinem cum pecunia, *Nummus*, & in differentiam, *Mnemonicus* audire cœpit. Appellatione latius quidem patente, quam vt specifica queat esse, nisi ad proprium hunc sensum restringatur. Id genus ob eandem diuersitatis, qua sibimet distat, rationem, iterum erit discernendum *Ordine primo*: (Quo pertinent Nummi Mnemonici inferioris notæ, proprie sic dicti, qui alium, quam memoriæ vsum non præstant); & *secundo*; quo referendi Nummi, qui olim monetæ vsui inseruierunt. Vt *Veteres & peregrini*. Frustra itaque in prisco Latio quæruntur nomina apud omnes iam Europæas nationes commodata a Romanis, qui nunc regunt; quique artis numariæ antiquam gloriam primi postliminio restituerunt. Opera duorum *Victorum. Viet: Pisanelli*, pictoris Veronensis, artis anaglypticæ in Metalliis restauratoris, aliorumque; vt, (præter eos, quos recenset Molinetus in Præfat. ad Histor. Pont. M.) *Pauli de Ragusio*, *Anton. G. Praten.* primique elegantiorum cerarum effictoris. *Christoph. Hieronimiæ* &c. Quibus vltra primos istos ausus ad cereas formas imagines conflandi, prodire datum non fuit. Deinde *Victoris Camelionis*. Qui ne inuento additæ perfectionis palmam aliis Italia relinqueret, Græcanicam Romanamque artem, nouæ per gradus incrementa capientem, primus æmulatus esse videtur, marculo cudendis elegantioribus anaglyphis. Nam cælandi qualescunque typos vsus, nec labentis imperii, nec a Francis restituti, nec Gothorum, nec

nec ipsis mediis ignorantiæ seculis, (quæ Principum aliquando in moneta imagines, non ipsius monetæ cælatoriam nesciuerunt) plane fuit deperdita. Testes sunt nummi a Posthumorum, & tandem Phocæ & Heraclii temporibus ad Byzantinum vsque excidium. Ipsi Gothicorum Regum artibus infestorum nummi non in prouinciis tantum exteris, Italia, Gallia Narbonensi, Hispania, Africa, excusi, sed intra patrios etiam fines; vide a Scheffero & nuper a Brennero editos nummos aureos maioris moduli vnilaterales. Imo serius Normannorum, vt *Rogerii*, initio Sec. XII. monetam Diuæ Virginis, & *Wilhelmi* an. 1154. eam ad exemplum Imp. Orient. Regis Regum facie insignientium. Testes sunt iterum, vt ad secula priora redeam, Francorum, *Theodeberti*, *Childerici*, & *Clotarii* &c. monetæ; Deinde *Caroli Magni*, *Hludouicorum*; *Ottonum*; Ciuitatum, vt *Turonensis*, *Tolosæ*, *Lugduni*, *Genuæ*, *Mediolani* &c. ad *Henricum IV.* & *Frid. II.* quorum imagines apparent denuo in paruulis monetis Siculis. Tandem *Adolphi*, *Rupertique* monetæ aureæ. Et Andegauensium, *Caroli*, *Roberti*, *Renati* ab An. 1383. ad 1442. Testes sunt denique bracteati omnes primi & secundi Ordinis, in Germania ab Ottonum temporibus. In Septentrione iam a Christianæ Religionis incunabulis noti; atque omnis æui *Bullæ*, siue Sigilla.

II. Camelionicorum Metalliorum percussorum ætas est 40. circiter annorum ab An. 1470. Quod docent Metallium minoris Moduli Sixti IV primo recensitum a Molinero p. 19. & illud quod est in Theca Numaria Schwartzburg. VICTOR CAMELIVS SVI IPSIVS EFFIGIATOR. MD. VIII. capite nudo cum nitido, in auersa, sacrificio: FAVE FOR. Vides, Clarissime Vir, quo suffultus fundamento, de ERNESTI aut ALBERTI coæuis Metalliis,

talliis, primi vel ſecundi ordinis h.e. cuſis vel fuſis, dubitauerim. Quoniam ſerius ad Gallos & tandem Germanos ceterasque nationes iſtam artem permanaſſe, monumentis hactenus quidem erutis conſtat. Vt Hiſtoria Germanicis Metalliis, vel etiam nummis Mnemonicis primi Ordinis, (ſi *Huſſiticum*, de quo infra, & Tuum *Frid. Placidi* de raptu filiorum, P. II. Lineæ Alb. p. 218. nulli notum, excipias) haud illuſtretur ante tempora Maximiliani primi, ſuæ tandem & maiorum gloriæ velificandæ, renaſcente arte numaria, quantum potuit, vſi. Vtque ante eum Principum Germaniæ non alius offendi potuerit parietina imagine, *aut moleſtorum aduncì naſi effictorum frequentia*. Fuſum metallium *Friderici III. Imp.* in Profectionem Rom. ſecundam An. 1469. quod Strada pro more non accurate delineauit p. 477. non Germanicum, ſed Italicum eſſe, ipſe nummus demonſtrat. Cuius Arcui inſcripta Epigraphe, ne reliqua tangam discrepantia, ex duobus meis paulum delineatione differentibus, pro illa Stradæ, ita ſe habet: CXX. EQVIT. CREAT. KALENDI. IANVARI. MCCCCLXIX. De illo autem Metallio, quod produxiſti in fronte partis primæ Erneſtinæ, quia per Te, Nobiliſſime Vir, licet, ita cenſeo, Te ſatis luculentum teſtimonium aduerſus Te ipſum dare in N.I. Tab. II. exactius delineato, quam Luckii, quæ prima iure meritoque Numiſmata edituri cura ſit.

III. Iam vero, vt ad problema de primo Metallio Moderno directius a Te, quam a me propoſitum, quantum anguſti epiſtolæ limites, & vires ferunt, Tibi ſatisfacere coner; liceat ante, Curioſorum bona cum venia pergere, in diſtinctius indaganda differentia generum, quæ ſuperius diuiſi, *Metalliorum* ſcilicet, *Nummorum Mnemonicorum*, & *Monetæ*. Primi & nobiliſſimi generis tria

tria videntur potiſſimum requiſita eſſe, haud ſeparanda, I. *Elegantior ars operis anaglyptici*. In qua, cum quantitatis per ſe ratio non habeatur, maius monentum, quam in moduli mole ſitum. II. *Ne alieno vſui*, vt Talismanum, Amuletorumque ſuperſtitioſa Supellex, vtque alia ad lubitum efficta Anaglypha, artis exercendæ, vel arcularum ornandarum cauſa, (quo vero non trahendi nummi, metalliorum characteribus agnoſcendi, quibus præter finem arculæ, libri, pocula &c. ornantur:) Aut Sigilla, ſeu Bullæ, qualis Aurea illa *Caroli quarti*, quæ legi publicæ German. Imp. nomen dedit; *Nec*, pecuniæ inſtar, *commercio; ſed ſoli perſonarum factorumque illuſtrium memoriæ, & donariis ſint dicati*. III. *Vt ſolidum Metallum A. A. Æris, vel feriundo, vel ſaltem flando ſit ſignatum*. (4) Monetæ contra vſus conſiſtit *in æſtimatione commutationi idonea*, quæ ei accedit ex pretio vel *Interno*, vel *Externo*. Internum non poteſt deficere ex natura commercii, niſi in caſu neceſſitatis, atque ad tempus. (5) Externum eſt iſta *Lex*, Νόμος, a cuius auctoritate numus nomen inuenit. Eius tanta eſt vis, vt ſupplere poſſit, quod interno pretio deeſt. (6) Quamdiu iſta publica auctoritas declaratur, ſignis impreſſis vel imaginum Principalium, vt ſanctior ſit monetæ integritas, vel aliorum quorumlibet Symbolorum, vt duplicem moneta vſum in conſeruanda ſimul facti memoria præſtet. Qualis V. g. inauguralis, Mortualis, &c. vel ſimpliciſſimarum ex vna tantum parte notarum, pro temporum aut feſtinatione, aut neceſſitate, aut barbarie. Vt v.g. in pecunia Obſidionali, Caſtrenſi, antiqua Germ. caua vnilaterali, & Clippis ita dictis &c.

IV. Quod ſi his non attentis contra I. Requiſitum, Anaglypticæ reſpectus inſuper habeatur, miſcebuntnr cum primo genera omnia inferiora, nummorum ſcil.

Mnemonicorum ſimplicioris, nec monetæ modernæ diſſimilis cælaturæ, (quales in Hiſt. Belgica frequenter obuii, atque vt ſupra innui, nouum genus conſtituunt;) Imo ipſius *monetæ Iconicæ*, vel *Symbolicæ*, vt *vncialium* bona copia &c. aut *abaculorum*, qui neq; commutationis vſui, neque ſolis celebrandis egregiis factis, ſed rationum ſimul commoditati, pro calculis ponendis, deſtinati. Ex Requiſito II. liquet, nec ſolas Ectypas Scalpturas efficere, ne pecunia commercio addicta, *Metalliorum & Nummorum Mnemonicorum* proprie dictorum cenſu prohibeatur. Sicut apprime Dn. Bizotus in ipſa præfatione, quæ dubiis his occaſionem dedit, *Caroli Andegauenſis*, Regis Siciliæ extantiorem antiquioremque Imaginem *aureæ monetæ*, (quæ eſt in Nummophyl. Schwartzburg. Arnſt.) impreſſam, ob generis diuerſitatem recentiori *nummo Mnemonico* Huſſi poſthabuit. Quo quidem legitimo præiudicio ſolis anaglyphis, ſi cætera deſint, & monetis quantumlibet inſignibus, plus iuſto nihil tribuit. Quod fecit Sebaſtianus Erizzus, propter anaglypticos typos Romanam monetam Metalliorum loco ponens. At dum Celeberrimus Bizotus contentus remouiſſe pecuniam communem, haud ſeparanda ſeparat, ſolius hiſtorici vſus rationem habendo, non æque artis anaglypticæ, diuerſum genus conſtituentis; excuſandus venit, ſi per integrum Opus Hiſtoriæ Belgicæ non ſatis accuratus eſt, in diſcernendis Metalliis, Nummis Mnemonicis, & ne ipſis quidem Abaculis, quos cum reliquis promiſcue *Medaille* vocat. Cum tamen apud Gallos longe inferioris Ordinis eruditis ſatis notum ſit diſcrimen, des *Medaillons*, des *Medailles*, des *Jettons*.

V. Tertio Requiſito proprie Metallium nomen debet; um alias parum intereſſe videri poſſet, cur egregiæ Ima-

Imagines inſculptæ materiæ, aut metallo quouis pretioſiori, vt v.g. ſupra æſtimationem poſita *Gemma* Neronis, quæ eſt in Gallico Theſauro D. Dionyſii; aut non minus æuum duraturæ, vt *Lapidi*, quales mihi *Peuceri* aliorumque facies; *Conchyliis*, vt variæ Guſtaui Adolphi, Regis Suecorum Imagines &c. *Ebori*, cui inſculpendis ſuæ ætatis Principum & Illuſtrium Vultibus nuper omnem operam impendit quidam *Cauallier*; *Ceræ*, vt archetypi Metalliorum fuſorum &c. Cur inquam iſtæ cælaturæ, quæ maiori labore conſtant, quam quæ flando vel feriundo ſignantur, ob ſolius materiæ diſcrepantiam, alio nomine notentur, vt *Gemmarum*, *Anaglyphorum* (des bas reliefs) *Imaginum* (des portraits) *cerarum* (des ebauches en cire) *ſigillorum* &c. Quemadmodum vſu venit, qui prima eſt regula in verborum ſignificationibus non plane incongruis. Triplex quidem Metalli Genus Antiqui iam ſolum admiſerunt. Ecquis vero propterea excludet v.g. Metallium ferreum *Caroli XI.* cum *Vlricæ Eleon.* facie, in auerſa, quod *Karlſteinius* non percuſſit, ſed exſculpſit, atque vt vnicum Cimeliis ſuis addidit? Aut quis proiiciet ipſa plumbea ſtanneaq; Specimina marculorum, vel formarum non extantium, veluti vnicos perituræ imaginis, & quæ ab imagine laudis, obſides? Percuſſis, & quidem publico conſultu, procul dubio prima debetur, ob artis & Archetypi præſtantiam, atque ob fidei incolumitatem. At, ſicut longe minus periculum ex conflatis Metalliis, quam ex numis commercio inſeruientibus, de quorum proinde eſt eſſentia, vt ſint cuſi: Ita maior neceſſitas imponendis ſeriebus, Metallia fuſa admittendi, non ſolum, antequam poſterior ætas marculos Metalliorum reſtituit; Sed deinde etiam, & nunc. Quandoquidem nullo tempore defuerunt artifices inſignes genio indulgentes, qui

effingendis cereis formis, quam ferro operosius incidendis, maiorem operam nauarunt. Vt *Ant. Rub.* Mediolan. *Zim. Ref.* Mant. *Io. Be.* (frequens in celebrandis Caroli V. expeditionibus, sed mihi aliter non notus) *Valer. de Bellis. Vicent. F. Pomp. P. van Abeele, Iacob. Trezzo.* tempore Philippi II. *Monfort, Conr. Bloc.* (aliiq; bene multi Noribergæ Augustæque Germani Artifices, vt noster *Tobias Wolf* &c.) *Briot, Du prez, G. R.* Henr. IV. tempore, & nouissime insignis artifex *Simon*, Cromwelli & Caroli II. Angliæ Regis tempore, qui & Sueciæ Magnates, vt *Wrangelium* & *De la Gardie* effinxit; & reliquis dubiam reddens palmam, *Cheron.* Cuius inter elegantissima Metallia nullum extat percussum. Ipse *Varinus*, cuius tot nitidissima Metallia primi Ordinis Historiam Gallicam ornant, non destitit cera effictis egregiis Imaginibus omnis Ordinis Illustrium Virorum, ære conflandis. Quem sequuti Falzius, v. g. in Metall. *Ioh. Christ. Konigsmarckii* &c. &c. Horum si auersæ deperditæ, aut non extiterunt, iniquum foret, ea proscribere, & mutilum corpus pro corpore non habere. Licet inferioris sint Ordinis, vt supra distinxi. Illa vero fusa omnia, quorum extant *archetypi percussi*, nullo pretio habenda.

VI. Ex (4.) patet, in moneta potiorem materiæ curam esse, quam in monimentis; quæ a curiosis non auri fame, sed liberali artium scientiarumq; cupiditate captis, nec Philosophum ex pallio iudicantibus, colliguntur. Quibus Raritas, Ars, Memoria singularis rei gestæ, pro pretio metallum superante. Quam bene sibi cauisset antiquitas contra auaram posterorum incuriam, si aliquando rerum gestarum memoriam, non soli auro commisisset! Vt nunc in Modernis fusis, atque in Hamerani elegantissimis Italicis, pariter & Suecicis &c. prouidenter

ære

ære percussis obtinet. Illud quidem Metalliorum dignitati debetur, vt quotiens Aurum Argentumue signatur, idem pro more politissimorum seculorum, sit sincerrimum. In argenteis, qui percutiuntur, ipsa necessitas, ne durius sit metallum, excludit electrum. Quod contra in fusis aptius est. Ex (5.) simul liquet, quanto maior metalli in moneta cupiditas, tanto liberiorem alius materiæ in ea, quam in Metalliis, aut Nummis Mnemonicis esse vsum. Vt possit illa vel *Scortea*, *Lineaque*, sicut Numæ olim, vel *Chartacea* esse, vt præcedenti seculo Harlemensis & Leidensis. Ex (6.) apparet: *Monetam*, cum desinit commercio inseruire, atque propter Historicas notas in nobiliorem monimentorum vsum transfertur; vt apud Romanos olim *Regia*, *Vetus*, & *Peregrina*; Ipsaque nunc apud nos omnis moneta Romana, & quæ prisci æui testis est: *Alio tunc, quam simplici pecuniæ titulo definiendam esse.* Quemadmodum supra ad Nummos Mnemonicos secundi Ordinis relata.

VII. Moduli diuersitas sui quidem generis diuersam speciem, at nouum genus non ita constituit, vt nequeat adiecta moduli magnitudine æque significanter denotari, quam adoptato nouo METALLIONIS nomine. Atque istam Magnitudinem, ne aut indefinitam relinquere, aut nouum semper schema addere opus sit, commodissime licebit metiri pollicum communi mensura, ad diametrum aptata. Ita vt Metallium, cuius Diameter est vnius pollicis, dicatur primæ Magn. Qnod duorum secundæ, &c. addito, qui excedit, vel semisse, vel triente, vel quadrante. Si ista magnitudine prima longe minus est, quale Imp. *Caroli V.* quod citasti Lin. Ern. Tab. 7. N. II. & eiusdem generis *Henr. IV. Mariæ Mediceæ*, *Henr. Iul. D. Brunsv.* &c, ad minimi moduli; si vltimam magnitudinem Mnemo-

monicorum primi & secundi Ordinis (v. g. Tesseræ Iulianæ Luneb. *Iulius-Löser*) excedat, ad maximi Moduli classem referatur; aut, si libet, *Medaglio* vel *Metallio* nuncupetur. Primæ autem Magnitudinis Metallia, (vt v. g. Rottieri elegans LVCIA DVCISSA PORTSMOVTHENSIS. Veneris instar, seminuda, cum Cupidine, in auersa, Orbi insidente. OMNIA VINCIT.) si, vt par est, solus modulus non consulatur, ab abaculis facile dignoscuntur. Quorum plane differens est cælatura, ob diuersum vsum. Inter Pisanicos, & qui hos excipiunt, Metalliones maximos est, Vnilateralis *Ferdinandi Catholici*, quem sistit *Paruta in Sicilia con l'aggiunta di Leonardo Agostini;* Estque Magnit. quintæ & Dimid. seu V. Pollicum, & Semiss. Recentiorum fusorum maximus est, quem habeo, *Alberti V. Ducis Bauariæ;* Auersa, Symbolice Comitiorum Ratisbonensium 1556. finem prodens, PARCERE DEVICTIS ET DEBELLARE SVPERBOS. eiusdem cum præcedente magnitudine, adeoque semisse superans *Rudolphum II.* qui est apud Luckium. Cusorum maximus est Danicus Christ. V. eiusdem pariter magnitudinis: Auersæ frontis typo, Victoriam, Naualem 1677. exhibente, quam prima, inuentis cumulata, se magis probans. Eius Archetypus est in Theca Numaria Schwartzburg. Arnstad. Delineatio apud Iacobæum in *Museo Regio Hafnienſi.* Fatendum hic est, Giganteos istos Metalliones vix commendari, quam cudendi seriundique labore. Neque excedentem anaglyphorum extantiam, quasi per medium dissecti corporis, Gallis dictam, *des reliefs de ronde basse*, omnem artem absoluere: Si conferantur ex. g. *Breueri* Hamburgensis numismata cum *Falzii* aut *Schmelzingii* Bataui &c. minus eminentibus cælaturis. Quod si nummi mediocritatem longius excedit formæ vastitas, vt Imperatoriæ in signis militaribus olim Imagines, aut antiquæ *argenteæ facies in æreis clypeis*, (vnde Plinius L. 35. c. 2. & 3. Clypei nomen deriuat); Aut ornamenta illa laquearium, quæ nostri architecti propter Numismatum similitudinem improprie *Medailles* vocant. Istæ, inquam, Imagines non solum ob alienum vsum; sed etiam magnitudinem immodicam ad anaglyphorum, non Numismatum genus pertinent.

VIII. Neque figura externa, qua terminatur nummus, nouum genus efficit, sed facile eiusdem denotatione distinguitur. Vt *Parabolica* & *Elliptica*, cuius generis inter maximos est, Metallio *Henr. IV. R. G.* Vbi Martis Planetæ Sabaudi signum Centauri *Opportunum* cedit. Inter minimos & nitidissimos Lud. XIV. Inauguralis a *Ioh. Verdelvehe; Triangularis*, vt in domesticis Tuis exemplis fusum Metallium, Lin. Ern. Tab. XI. num. I. & Tab. XIII. n. 4. & in Aureo Nummo Mnemonico liberatæ Cameræ 1581. nouissimeq; Christiani V. Regis Danorum, in expeditione Norwegica. *Quadrata*, vt in raro Metallio Mareschalli Triuultii, & recentioribus nummis Mnemon. dictis Germ. *Clippis. Rhombiformia*, vt Metallio Henr. II. Regis Galliæ, anno 1585. quod Gothæ, at, quod memini, in Gallia non vidi; Tuoque Lin. Ern. III. Tab. 7. & nouissime restituto a Meybuschio *Frid. III. R. D; Hexagona*, vt passim in Familia Saxonica, in specie D. *Bernhardi*, cum Angelo custode in castris &c. *Octogona*, vt *Iulii Frider. Administr. Wirtemb.* & minoris mod. *Gustaui Adolphi Regis Sueciæ*, sub Simsonis imagine &c. Inter reliqua, accidentia sunt ornamenta, quibus numismata superiori ætate a collo gestata velut conturniata circumdantur.

IX. Paucis nunc monebo ad assertum, quo *Sigismundi* Imperatoris Metallium (certe non coæuum; nam in ea-

dem epiſt. periodum repertæ huius artis ſtatueram demum circa A. M. CCCCXXX.) prætuli Nummo Mnemonico Huſſitico, cuius tamen Epocha eſt antiquior: Me id feciſſe reſpectu diuerſi & inferioris generis, quo Nummus Huſſiticus non ad Metallia, nedum ad prima referri poteſt. Deinde Sigismundum, qui inter primos quidem reſtitutos, at incertæ Epochæ eſt, adductum eſſe comparationis gratia, ob Hiſtoriæ conuenientiam, & forte idem reſtitutionis fatum; non quaſi non ſuppeterent mihi alii, certa antiquitate nobiliores. Qui nominandi nunc ſunt, mota directius de primo Metallio Moderno quæſtione. Habemus vero vt *Sigismundi*, alia reſtituta, quorum antiquitati nihil obeſt, quod illius non ſint ætatis, cuius ſigna ferunt: v. g. Illius a Te in Menſtruis Colloquiis jam publicati *Godefredi de Luzinem* dentati, quem eadem ſtirpe editus, quisquis ille fuit, initio reſtitutæ in Nummis anaglypticæ conflari curauit, vt familiam Meluſinicis fabulis celebrem, nouo belluæ domandæ portento illuſtriorem redderet. *Vel ANTONII Brabantini DE BVRGVNDIA* caput, faſcia, ſ. diademate cinctum, in auerſæ area flammis conſperſa exhibens Labarum ſacrum, ſiue *Gonfalonium*, NVL NE SI FROTTE. Cum laurea, in Limbo. Quod Metallium, etſi omnibus primæ artis characteribus notatum, poni tamen nequit ad tempora Gallicæ cladis Azincurtanæ, 1415. quam iſte Antonius cum fratre Philippo inter alios Optimates inſigniuit. Maxime vbi confertur cum fuſo meo alio, *Caroli Audacis*, quod per omnia delineationis genere cum illo conſpirans, opere non ſolum prodit eiusdem artificis manum; Verum etiam Ordinationis paritate, in area conſperſa iisdem flammis, Igniario Ordinis Burg. elicitis, ignoratisque ante Philippum Bonum. Alia recenſere, nil

nil iuuat. At tua artis obiectio *Sigismundum* noſtrum nondum relegabit ad nouos homines, ſi comparetur cum aliis primæ ætatis v. g. cum elegante fuſo Maioris Moduli Alphonſi V. Regis Arrag. Triumphali Metallio, quod illuſtriſſ. Dn. Com. Schvvartzburg. Arnſt. Muſeo Gallici Legati de Bonrepos acceptum fert. Bertoldum nigrum quod adiecerim, in promtu cauſa eſt, vt conſtaret, additam Epocham ſolam non probare antiquitatem nummi.

X. Sicut a cauſa Huſſitici Nummi, eiusque vetuſtate oportet aliæ rationes ſtent, quam ſolus adſcriptus anni Numerus, vt coæuus credatur, vel non recentior iſto Heluetico reſtituto de triplici fœdere A. 1296. Cum alias mirum videri poſſit, Bohemicam gentem id præſtitiſſe in Nummo Mnemonico & Iconico priuati, & quidem contra publicæ Inquiſitionis rigorem, quod aliæ nationes, ſane non rudiores, neque Pontifici Maximo, nec Imperatori, nec Regum vlli, tunc temporis exhibuerunt. Quorum illa quidem tempeſtate Imagines nullæ in monetis (ſi paucos Italiæ Principes excipias) conſpiciuntur. Et magis mirum, eiusdem imaginis cum eodem conſule VIII. diuerſas ſpecies, quas habeo, cuſas fuiſſe. Ex his, quas non impugnare, ſed aliis modeſte examinandas relinquere animus eſt, ſi quæ natales iſti ætati debent, non potuit Dn. Abbas *Bizotus* alium nummum intellexiſſe, quam aut delineatum ex Theca Numaria Schvvartzburg. in Cl. *Iunckeri* Vita Lutheri Tab IV. n. IX. Lit. A. aut eiusdem moduli illum, cuius æreum ectypon poſſideo, nullo literarum, ſed figurarum notabili diſcrimine a præcedente diuerſum, vbi pro pileo caput bireto, pectus, pro palla replicata, amiculo globulis fibulato tectum. Eorum enim alteruter tantum ob cælaturam minus emi-

nentem, antiquius æuum redolere poteſt. Ipſum fatidicæ Inſcriptionis Vaticinium, quia in accuratis Huſſitici Martyrii actis non inuenitur, atque ab aliis ſcriptum, (quod in eius epiſt. nec quidquam quæritur) ab aliis ore prolatum, variantibus aſſertionibus refertur; Quia etiam cum illo effato, quod Poggius Hieronymici Rogi ocularis teſtis indefinite absque centum annorum termino, & ipſa a Te bene plane (Menſtr. Colloqu. 1694. pag. 270.) notata Hiſtoria Hieron. Prag. huic, non Huſſo tribuunt, confunditur: Ingenui & præiudiciis in propria cauſa liberati animi eſt, quod illud loco cit. in ſuſpenſo relinqueris. Inter meos, qui ſequentis ſeculi liberioris, & Numiſmatum feracioris notas ferunt, ſunt illi, quos Dn. Iunckerus p. 41. fruſtra a ſe quæſitos refert, & quidem ille *Sancti Ioannis Hus Martyr. Chriſt.* Ad quem ob paritatem inſcriptionis iuuabit citare Metallium fuſum vnilaterale, fig. Parab. Magnit. 1½. Sauanorolæ cucullati, cum Inſcr. HIERONIMVS FERRARIENSIS ORD. PRED. PROPHETA. VIR MARTYR. Quod præter meum alibi, quam in Gaza R. Chriſtianiſſ. argenteum non vidi. Illud vero elogium ex ſcriptis aliunde probandum eſt, quam ex opere Anecdoto de *Vita Alexandri VI.* nuper edito a conſummatæ doctrinæ Viro, Dn. Leibnizio. Si iſtius autori non minor de Sauanorola, quam de infandis Pontificis vitiis habenda eſt fides.

XI. Veniendum propius tandem eſt ad Tuam Quæſtionem de primo Metallio Moderno. Eorum, quæ meis quidem oculis obiecta ſunt, indubiæ antiquitatis primum eſt fuſum Magnit. 2. Inclyti toga Sagoque Herois NICOLAI MARCHIONIS ESTENSIS FERR. Pronepotis illuſtris Azonis, a quo Sereniſſ. Duces Luneb. genus ducunt. Cuius, vtpote in ætate prætextata 1393. patris in locum ſuffecti, & jam Ao. 1441. æt. 58. rebus humanis erepti, iuuenilior facies, imberbis, & minus comata, quam in aliis imaginibus apparet, poſſet nummum coniectura antiquiorem efficere; Niſi auerſa, quamuis nullis notata faſtis, & in area floribus conſperſa nihil præter ſcutum formæ, vt dicitur, Gallicæ S. infra cuſpidatæ, quadripartitum, atque in eius Laterculo 1. & 4. ſcutum Gallicum diſtinctum limbo dentato. In 2. & 3. auitam Aquilam Eſtenſem, adiectis ex vtraque parte Literis Monaſticis N. M. (*Nicolaus March.*) exhibens, doceret, conflatum eſſe hoc numiſma an. 1432. quo Carolus VII. Rex Galliæ ingentia merita iſtius Marchionis Regio inſigni ornauit. Autor Piſanus nomen nondum, vt ſolet, appoſuit, quod fecit in Metallio minoris Mod. *Leonelli* filii, ſucceſſoris. Quod ſi Piſanicus, quem deſcribit Paulus Iouius, Martini V. Metallio produci poſſet, nondum tamen ex auerſæ teſſera Gentilitia conſtaret, num viuo Pontifice, ante eum, quem citaui, effictus ſit.

XII. Prima Piſanelli, quæ Epocha ſignata noui, (nam Pont. Eugenii IV. de Synodo Florentina 1439. a Molineto ex Regis Chriſtianiſſ. Nummophyl. delineatus p. 3. nummus aureus mnemonicus eſt) Metallia ſunt: (I) Inſignis belli Dux SIGISMVNDVS DE MALATESTIS ARIMINI ZC ET ROMANE ECCLESIE CAPITANEVS GENERALIS. Max. moduli 3½. poll. In auerſa idem Eques MCCCCXLV. (II) Magn. 3. S. 3. poll. SIGISMVNDVS PANDVLFVS MALATESTA. PAN. F. (Pandulfi filius) In auerſa arx turribus ab eo munita. CASTELLVM SIGISMVNDVM ARIMINENSE MCCCC XLVI. (III.) Magn. 1½. SIGISMVNDVS P. D. MALATESTIS. S. R. ECL. GENERALIS. In auerſa eius ſcutum gentilit. pro laciniis

integro fluente Cassidis tegmine ornatum. O. M. D. P. V. MCCCCXLVI. (IV.) SIGISMVNDVS PANDVLFVS MALATESTA. PA. F. In auersa frontispicium Templi S. Francisci Arimin. a Malatesta marmoribus antiqui Portus exstrui cœptum. PRAECL. ARIMIN. TEMPLVM. AN. GRATIAE. V. P. MCCCCL. vt taceam aliud *Malatestæ Nouelli* absque Consule. Eundem annum XLVI. insignit par Arimini, & illius ætatis decus, doctissima Isotta Noyarola, duobus Metallis Pisanicis. Primum Max. Mod. 3½. poll. prima fronte caput cum cidare seu tutulo, indeque deciduo velamine villoso exhibet: D. ISOTTÆ ARIMINENSI FORMA ET VIRTVTE ITALIÆ DECORI. Auersa Elephantem, æternitatis Symbolum. Secundum minor. moduli poll. 1½. eandem eodem fere habitu; Postica genium volitantem cum injecta fluente Chlamycula corallam tenentem sistit. Est mihi insuper tertius, eod. quo præced. modulo & inscriptione, nihil a primo discrepante cum libro clauso, in auersa, circumpositis literis ELEGIA; at absque Epocha.

XIII. Circa vacuas areolas *Num. 9. Tab. 3. P. 1.* vt Tibi, Honoratissime Domine Consiliarie, clarius de mente mea constet; Ejusmodi laterculorum ex diuersa scuti sectione & dispositione tessera carentium exemplum longius quærendum non est, quam ipsa hac Tab. N. II. III. VIII. primisque Tabulæ I. & V. vbi infimarum areolarum duæ superfluæ sunt. Quod proxime præcedentis scuti, adeoq; & huius vltimam vacuam Regalium Insigni tribuas, bene habet; quandoquidem illud non Saxonicæ solum Genti, sed aliis etiam solenne. At supersunt nihilominus in nostro Nummo duo vacui laterculi. Nam cum duplicem ad perpendiculum sectionem terna transuersa quandoq; dirimat in X. areas, vt in Nummis Tab. 2. aliquando in XII-

vt

vt in præced. VIII. huius Tab. 3. &c. plus nouem tesseris non distinctas; In hoc IX. quater repetita Sectio transuersa XIII. areas produxit. De quibus si vacuarum vnam des Regalium Insigni, duas spacio, quod occupat superincumbens parmula Saxonici Nominis, supereſt Vacua, media suprema. Eam si tribuis errori sculptoris qualicunque, error est, non mysterium. Nec tanti momenti, quam si quis exempli gratia inquireret in ipsis his Nummis rationem: Cur in primis Insignibus ad annum vsque 37. appareat Regalium laterculus, non in seqq.? aut cur in omnibus retro Nummis omissus sit Leo Plisnensis (si ex situ judicandum, qui quandoque differt.) Eccur idem Leo in N. V. Tab. 2. cum omissis Cornibus Scarab. Brenensibus commutatus? Videtur enim successu temp. in constructione scuti laboratum esse. De Moguntino Alberti Metallione si vacuæ areolæ alio sensu accipiantur, quam infimæ in N. II. & VIII. Tab. 3. earum in medio scuti exemplum non noui. Nec in paruulo, quem citas, dummodo idem cum meo sit. Luckium non ab erroribus immunem præstare volui, sed frequentiori suspicione liberare, in quam sæpius veniret, nisi subinde eiusdem generis varia diuersitate subleuaretur. Neque coniecturis illum tuebor, v. g. forte in Nummo *Frid Elect.* & *Joh. Ducis* p. 18. Lin. Ern. a Te citato, an. 1507. post absolutos marculos demum adiectum, adeoque quosdam absque Æra cusos esse; Sed exemplis. Vt in *Ernesti Electoris* Colon. Metallio p. 292. quod videri possit ad factum pulsi Truchsessii accommodasse, an 1584. immutatione: Cum mihi præsto sit idem nummus cum an. 1583. Verum qui audeam illum incusare? habeo enim huius eiusdem tres diuersos, cum an. 1609. & absque Epocha, &c. Auersam cum gigantibus cœlum oppugnaturis, de qua dubitas

p. 180.

p. 180. habeo eiusdem artificis *Jac. Trezzo* manu in duobus diuersis Metalliis fusis, & Carolo V. & Madruccio tributam. Sunt quidem, haud inficior, auersæ, quæ me suspensum tenent, v. grat. illa Frid. Asinarii apud Luckium p. 218. PAR VBIQVE POTESTAS. & Claudii Guisii pag. 346. CONSOCIATIO RERVM DOMINA &c. quarum primam aut *Maria Medices* M DC III. & secundam *Claudius Lotharingus*, a *Maria Car. V. Filia*, nupta Max. II. Imp. imitatione commodarunt; aut Luckius non recte combinauit. Est hoc fusorum metalliorum inconcinnum incommodum, vt incongruæ frontes misceantur, ab imperitis. Sicut auersa auroræ. VIRTVTIS FORMÆQVE PRÆVIA. variis inconuenienter addita, errore potius, quam fraude. Nondum adeo metuenda, quam vbi illustrandis modernis Nummis tanta ingenia animum appulerint, quanta in dilucidandis antiquis desudarunt; atque crescente modernorum, quæ adhuc latent, Monimentorum notitia, creuerit curiosorum, Voluptas supplendi vel amplificandi series hactenus incognitas. Propter Symbolorum sublimitatem; scientiarum omnium, rerumque & actionum, quas vita ciuilis ferr, maiorem, quam in antiquis, varietatem; præsertim personarum, quorum beneficiis adhuc frui datur, merita; Principumque & familiarum a Maiorum Imaginibus gloriam.

XIV. Iteratos in Henrici Nummis Solœcismos non potes magis mirari, quam frequentes alios ante restauratum linguæ Lat. puriorem vsum: v.g. (ne aliena exempla quæram) in nostris Hussiticis repetitum illud *ressundebitis*, & in alio to *michi*. Elliptica mea locutione videsne me lusisse?

XV. Coniecturas meas de Nummo Æmiliæ tanti non facio, vt eas demonstrationum instar mordicus tueri cupiam, quamprimum pro aliis stabit maior probabilitas. Pro asserendo an. 1577. *Nummo 1. Augusti Tab. 13.* citandum foret Ectypon meum, quod neque Lipsiæ, nec Arnstadiæ debeo, nisi propria Tua delineatio illum exprimeret. Nec velim, Nobilissime Vir, putes, me mihi censorio supercilio examen sumsisse eorum, quæ in transitu tantum, & quasi aliud agendo monita esse satis evidens est. Semper abhorruit animus ab illo inanis gloriæ ventoso curru. Quo non tritam viam absque scribendi Cacoëthe vel Cacozelia emunientes insectari potius, quam auxiliaria opera subleuare, inglorium est. Itaque cogito & nunc magis, pro instituto, de conferendis pauciss imis symbolis ad Tom. I. Saxon. Tuæ Numism. Lineæ Ern. locupletissima serie adeo refertam, vt non tam mirum sit, exiguum esse quod additur, quam quod in tanta diuersitate supersit addendum. Quod mitto ectypon ad N. VII. Tab. V. quia paulum oppido inter se differunt, sufficit forte commemorasse, dari eius Metallii marculos diuersos. Idem obtinebit in Metallio fuso 1. Tab. 8. vt si æri incidi non sit operæ pretium, constet modo de diuersitate. Quod cum V. T. 13. conferendum exhibeo, non anticæ disparitate notandum est, sed posticæ; Licet Tuo & Dn. Iunckeri Vita Luth. T. XV. 43. longe rudioris. Quippe conspicitur eques vno saltu Albim traiiciens. In vltima regione notabilis supplex ad pedes Equitis prouolutus, qui si Electorem significat, cum Historicorum fide pugnat, perhibentium: Cæsarem renuisse supplicationem Electoris equo descensuri. Post hoc videntur reliqua emendatiora prodiisse. *Quartum* Metallium singulare & forte vnicum est. *Quintum*, auersa, quæ desideratur, imperfectum quidem efficit, at ne metallium sit, satis vrgens

ratio non eſt, vt ſupra oſtenſum. *Sextum* non multum recedit a præcedente, & pariter eſt vnilaterale.

XVI. Priuatorum, qui ad reliquas Partes Saxoniæ Tuæ Numiſmaticæ pertinent, habeo Nouem (Vl. *Lutheri*, Ill. *Melanchtonis*) Metallia, quæ a Dn. Iunckero aut plane non, aut aliter recenſentur. 10. *Georgii Mylii*. 12. *Matth. Hoe ab Hoenegg*. 13. *Andreæ Ludouici*. 14. *Georg. Polmar*. 15. *Joh. Ad. Scherzeri*. 16. Inter JCtos aliud *Simon. Piſtoris*, quam in præc. epiſt. indicatum, 17. *Pauli Cracouii*. 18. *Barb. Scifarti V. D. Zeh*. 19. *Joh. Georgii Godelmanni*. 20. *Joh. Senfft*, cum filia. 21. *Andr. von Gulchen*. 22. 23. *Duo D. Georgii Polmari filii*. 24. *Theodori Moſtel. D.* 25. *Caſp. Mich. Welſch. D.* 26. *Chriſt. Richteri Altenburg. D.* 27. *Vlrici Gros Conſ. Julis*. 28. *Joh. Schadter Weiſſenfelſ*. 29. *Dauidis Heidenreich*. 30. *Joh. Pauſt*. Inter Medicos 31. *D. Salomon. Alberti*. 32. & *Joh. Renert*. (ni fallor, ad Theol. referendi) Inter Artifices 33. 34. Duo celebris *Lucæ Cranachii*. De Familiis Nobilium in priori Epiſtola. Quibus addi poſſunt 35. rarum *Tegenharti Pfeffingeri* maioris Mod. & 36. *Dav. Doringi* Conſil. Elect. Metallia.

At vereor, ne epiſtolæ limites longe fim transgreſſus; non officiorum ſtudiorumque. Vt, ſi neque de publico, neque de Te mereri potui, Tibi tamen non defuiſſe videar. Vale. Datæ in Aula Sondershuſana Prid. KL. Dec. MDCCV.

FINIS
PARTIS SECVNDAE
ERNESTINAE.

WIMEP

N·IM·G·A·
LIN·AL·B.

TOM·II·